



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

§. 1. Pœnæ quotuplices & quo pacto infligendæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

Agiturque ob injuriam aut civiliter, aut criminaliter Civiliter, ad æstimationem injuriæ, ut scilicet Judex tanti reum condemnet, quanti injuriam passus æstimaverit, vel minoris, prout ei visum fuerit. §. In Summa juncto §. Pœna Instituit eod. Criminaliter agitur ad pœnam extraordinariam, officio Judicis reo irrogandam. Et quidem utroque hoc modo agitur ex præscripto juris Civilis, quo etiam una actio tollit aliam, l. 6. 7. & ult. D. eod. quia utramque judicium ad pœnam & vindictam comparatum est, & unum idemque delictum vindicari iterum non debet, l. Senatus 14. D. De accusationib.

At jure Pontificio si quis in Clericum aut Religiosum violentas manus injecerit, excommunicatur ipso facto, can. Si quis suadente xvii. q. 4. c. 5. cum similibus inf. De sent. excommunicat. & in eum, qui Cardinalem fuerit hostiliter insecutus vel percussit, &c. veluti in reum læsæ majestatis advertitur, c. Felicis de pœnis in 6. ubi plenius vide. Qui autem in Episcopum hæc perpetraverit, eisdem ferè pœnis coercetur. Clement. 1. De pœnis c. unico eod. s. in 6. Deniq; qui in alterius famam publicè scripturam aut verba contumeliosa confixerit, & repertus scripta nō probaverit, flagellari debet. Qui autem libellum famosum invenir, nec ruperit, quasi auctor hujusmodi delicti utroque Jure puniendus est, can. 1. & ult. V. q. 1. l. unica Cod. De famosis libellis.

§. II.

De Damno dato.

1. Damnum quoquo modo datum reparari debet.
2. Visus victori condemnandus in expensas.

Sed probato crimine reus ante omnia damnum alteri injuriâ quoquo modo, etiam levissimâ culpâ datum, sive per se, cap. 1. 2. & 3. h. t. sive per alium, vel alii opem ferendo, c. ult. eod. plane resarcire debet, d. c. 1. & c. 6. eod. sive Clericus sit, sive laicus, cap. Olim 7. h. t. sive damnum datum sit in rebus vel animatis vel inanimatis, toto Tit. D. & Cod. Ad L. Aquiliam & potissimum, l. In lege D. eod. quia factum suum cuique nocere debet, non alteri, ut habet, regula Juris, l. Imperitia 132. D. de R. l. cum non debeat quis affectare id, in quo vel intelligit vel intelligere debet infirmitatem imperitiamve suam alicui futuram periculosam,

Idem est in eo, cujus negligentia damnum illatum est: ut in Medico, qui deseruit curationem ægroti; in Notario, cujus negligentia error in instrumento admittitur, in eo, qui negligenter ignem custodivit ne longius seipset etiam in hiis omnibus & similibus ad restitutionem damni rectè conveniuntur, ut latius tradit Casus in Summa lib. 3. tit. 2. §. damnum, quem plenius vide, ut de ea, quæ traduntur in Tit. Instit. Ad L. Aquiliam, & De noxalib. actionibus, ne superflue, quæ ibi traduntur, repetamus.

2. Non solum autem damnum illatum resarcire reus debet, sed & expensas, quas occasione litis injustè motæ advertebatius justè taceat, refundere tenetur, d. c. Olim 7. h. t. 4. inf. De pœnis: quia regulariter victus victori in expensas condemnatur, etiam in causis civilibus & pecuniariis cap. Propterandum §. sive autem Cod. De judiciis. Ad id ut statutum de damnis non resarcionis dispensans, etiam si quis illud servare juraverit, non extendatur ad expensas, c. 8. In nostra 8. h. t. quia aliud appellatur damnum, aliud expensæ; & juramentum strictè accipiendum est de iis tantum, de quibus expressim fuerit actum.

TITULUS XXXVII.

De pœnis.

§. I.

Pœnæ quotuplices & quo pacto infligenda.

1. Pœna à multa in quibus distinguitur.
2. Pœna alia Civilis, alia Criminalis.
3. Civilis alia Conventionalis, alia Legalis, alia Judicialis.
4. Criminalis alia Perpetua, alia Temporalis.
5. Temporalis alia Pecuniaria, alia Corporalis, alia Spiritualis.
6. Pœna item alia est personalis, alia Realis, alia Mixta.
7. Item alia Capitalis, alia non capitalis.
8. Iudex Ecclesiasticus secundum Canones judicanda debet.
9. Quid iudex in infligenda pœna attendere debet.
10. Etiam hæredes delinquentium jure Canonico interdum puniri.
11. Iudex Ecclesiasticus quatenus pœnam pecuniariam infligere possit.

Rei